

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De relationibus Ecclesiam inter et Civilem Potestatem,
Selecta ex bibliothecis et archivis. De lectione in studio latinae linguae.
Puteus desertus.
De influxu Christianae doctrinae in ius Romanum.
Paroemtae sive Adagia. Aethiopem lavare seu dealbare. — Inaniter aquam consumere. — Alii serunt, alii metent. — Ne Hercules quidem aduersus duos. — In dolio figuralem artem discere.
Horae subsecivae. I. Amico, ut molossum e montibus mittat. — II. Amico, quaedam vitae documenta exhibentur.
Ascensus in Alpes.
De lusu qui vulgo dicitur « La Dama ».

Colloquia latina. Auditiones.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Indicis. — Ex Congregatione Rituum. **Diarium Vaticanum.** Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electiones. — Varia.
Annales: Regalia itinera. — Bellum inter Italos atque Turcas. — Mauritanae res.
Publici per orbem coetus legibus ferentis.
Per orbem.
Librorum recensio. (I. Bonavenia).
Aenigmata.
Appendix: Anthea.

DE RELATIONIBUS Ecclesiam inter et Civilem Potestatem

Paucis abhinc mensibus Romae romanaeque Universitatis praestantissimi viri duo, Ecclesiam inter et Civilem Potestatem relationes determinare, concione publica, conati sunt, eorumque primus Aloysius Luzzatti fuit, secundus Vincentius Simoncelli. Quum Civilis Potestas nequeat tamquam belli iudex, mere passive se habere respectu Ecclesiarum multarum in republica existentium, ideo Aloysius Luzzatti formulae Comitis de Montalembert, postea vero Comitis Camilli Cavour, statuenti: « Ecclesiam liberam in civitate libera », hanc modificationem attulit: « Ecclesias liberas sub civili suprematia » (italice: *Libere Chiese in Stato Sovrano*). Vincentius autem Simoncelli, magna eloquentiae vi praeditus, diversa de separatione civilis potestatis ab Ecclesia systemata, neenon eorum in civitatibus applicationes examini subiecit, atque neque Ecclesiam neque Civilem Potestatem posse separationem huiusmodi velle, ipse negavit. Ecclesia, - inquit, separationem a Civili Potestate velle non potest, quia mundus a Deo, creatura a Creatore separanda forent, ac simplex fidelis *unice* legibus reipublicae subditus esset. Neque respublica potest eamdem velle separationem, quum in illa includantur a) plena libertas pro individuis quamcumque societatem ingrediendi; b) plena libertas acquirendi et possidendi; c) plena docendi libertas; d) plena libertas in personis ad officia publica obeunda, quae quidem omnia nemini a Civili Potestate concedi possunt. Immo hodiernis circumstantiis perensis, Civilis Potestas Ecclesiae petenti, separationem huiusmodi denegare cogitur. (1)

(1) Cf. Ephem. « Conferenze e Prolusioni », Marzo, 1912, p. 104-5.

Quaenam igitur est Ecclesiae mens, circa relationes Ecclesiam ipsam inter et rempublicam?

Modernistarum conceptus circa relationes Ecclesiam inter et Civilem Potestatem in Epistola Pii X « *Pa scendi* » ita traditur: « Sicut igitur ratione obiecti fidem ac scientiam extraneas ab invicem vidimus: sic Status et Ecclesia alter ab altera extranea sunt ab finibus quos persequuntur, temporalem ille, haec spiritualem. Licuit profecto alias temporale spirituali subiici; licuit de mixtis quaestionibus sermonem interseri, in quibus Ecclesia ut domina ac regina intererat, quia nempe a Deo, sine medio, ut ordinis supernaturalis est auctor, instituta ferebatur. Sed iam haec a philosophis atque historicis respuuntur. Status ergo ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus a cive... Sed modernistarum Scholae satis non est debere Statum ab Ecclesia seiungi. Sicut fidem, quoad elementa, ut inquiunt, phaenomenica scientiae subdi oportet, sic in temporalibus negotiis Ecclesiam subesse Statui ». (1)

Anno 1897 Episcopus Cremonensis (2) scribebat: « Putamus eos omnes qui ad separationem Ecclesiae a Civili Potestate aspirant (*vagheggiano*) eamque cupiunt, atque Societatis atheismum propterea petunt, nunquam absque fundo abyssum quae ab ipsis aperitur intellexisse. Impossibile nobis videtur, mentis rectique cordis homines, tam enormem absurditatem, apertis posse velle oculis. « Statum » ab Ecclesia separare idem valet ac Statum totaliter a Religione et ab ipso Deo subtrahere, ipsumque Statum tamquam atheum considerare. Potest ne maior absurditas vel deterior error doceri? »

(1) Cf. Programma § 3. *Stato e Chiesa*. « L' enciclica ci rimprovera di desiderare la separazione della Chiesa dallo Stato. C' imputa a difetto una delle migliori nostre aspirazioni ».

(2) *Questioni Religiose*, vol. 2. Desclée, Roma, 1897, p. 256. — *La Chiesa e i tempi nuovi*, 1906.

Haec olim; sed anno 1906 sententiam mutavit, enumeratisque utilitatibus ex Ecclesiae Statusque separatione provenientibus, *systema separationis* vocat «opportunius ad libertatem civilem cum religiosa libertate componendam, et ad ordinis publici tutelam, servandam» immo *separationis systema* est «difficillimi problematis solutio unica, bono fidei, pietatis, religiosique conferens». Enumeratis utilitatibus *systematis separationis*, enumerat quoque inconvenientia ceterorum systematum, quae pro relationibus inter Ecclesiam Statumque determinandis proponuntur; quae inconvenientia a Francisco Xav. Kraus, necnon a Modernistis iam recensita fuere. (1) Pius Papa X tum in Epistola quadam privati iuris, tum in Epistola «Pascendi» *systema separationis* reprobavit.

Quaenam igitur est Ecclesiae doctrina circa relationes inter ipsam Ecclesiam Civilemque Potestatem existentes?

I. — Ex auctoritate Ecclesiae necnon ex fine proprio eiusdem, Ecclesia Christi est Societas distincta et independens a Societate civili.

a) Ex auctoritate. - Nam Pius IX (Syll. 19. *Denz.* 1567) propositionem damnavit: «Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino fundatore suo collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat». Et Leo XIII (Enc. «*Immortale Dei*» 1. Nov. 1885, *Denz.* 1705) scribit: «Haec societas (Ecclesia) distinguitur ac differt a societate civili et quod plurimum interest, societas est genere et iure perfecta, quum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat».

b) Ex fine Ecclesiae. — Finis enim Ecclesiae quum sit spiritualis, distinctus ac independens est a fine Societatis civilis, qui materialis est. Quum igitur cuiuslibet societatis natura et iura sint a fine desumenda, valeatque adagium: «Finis distinctus, societas distincta; finis independens, societas independens» propterea Ecclesia, societas est a civili societate distincta et independens.

II. — Ex auctoritate quoque necnon ex rationis momentis Ecclesia non est a Statu separanda.

a) Ex auctoritate. - Nam a Pio IX damnata fuit propositio Syllabi (55, *Denz.* 1601): «Ecclesia a Statu Statusque ab Ecclesia seiungendus est». Et d. 18 Febr. 1865, scribens ad Comitem Solaro Della Margarita, occasione eiusdem operis *L'uomo di Stato*, idem Pontifex ait: «Supremus Auctor supernaturalis iuxta et naturalis ordinis, qui, utpote omnium principium et finis, omnia

propter semetipsum fecit, dum hominem ad se creatum in similius eius consortio constituit in terris, profecto debuit utrumque ordinem ipsi praestitum mutuo iungere nexus et inferioris explicationem, leges, vicissitudines ita superiori attemperatas velle, ut auxilio huic essent, nisusque concordi cum ipso humanam familiam ad verae aeternaeque felicitatis assecutionem dirigerent. Qui igitur hosce ordines dissociat, qui religionem Deumque ablegat a civili societate aut seponit; is certe quatit aedificium, disgrat partes, fundamenta suffudit, parat ruinam, illudque confirmat sacrarum Literarum oraculum: *gens et regnum* quod non serviet Tibi, peribit». Et Leo XIII (l. c. *Denz.* 1707) de utraque potestate civili et ecclesiastica ait: «Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur». (1)

b) Ex rationis momentis. — Quia Ecclesiam a Civili Potestate separare, idem est, ac mundum a Deo, creaturam a Creatore seiungere. — Est hominem credentem legibus reipublicae unice relinquere ac submittere. — Est ipsi Deo aeterno debitum denegare honorem, ipsumque spurnere. Quae tria admitti nequeunt.

Paucis verbis, Civilem Potestatem ab Ecclesia separare, significat: Statum totaliter a Religione et a Deo subtrahere, Statumque tamquam atheum considerare. Quae duo nunquam ab Ecclesia Christi et ab homine recte sentiente procul dubio admitti poterunt.

REGINALDUS FEI O.P.

(1) Cf. *Epist. Pascendi*.

SELECTA EX BIBLIOTECIS ET ARCHIVIS

De lectione in studio latinae linguae.

Lectionem inter illa subsidia ponimus, quae perficiunt iter ad vetus Latium, quoniam quidquid elegantia latini sermonis sinu suo complectitur, legendu optima et culta monimenta adsequimur. Cicero, *de Orat.*, lib. iii: «Omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia litterarum; tamen augetur legendis orationibus ac poetis». Quintilianus (xii): «Nobis copia cum iudicio paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus: id autem consequimur optima legendu». Plinius (lib. vi, ep. 30): «Quum ego ex comparatione sentio, quam male scribam».

Legendi studium varium diversumque est, sive respicias ad diversa genera monimentorum, quae leguntur; sive ad diversam conditionem illorum qui legunt; sive ad diversam rationem ipsius lectionis: ipsa monimenta continent res et verba, ex quibus etiam capi

(1) KRAUS, *Cavour*, p. 11. *Programma*, p. 123.

potest duplex fructus; quorum alter est rerum, alter verborum; de quo posteriore in praesenti sumus solliciti. Lectio, quae ob verba suscipitur, iterum triplex est: vel legimus aliorum scripta, ut inde accipiamus verborum copiam, quae lectio dici potest *grammatica*; vel ut adsequamur orationis vim atque elegantiam; quae lectio est *stili purioris*; vel ut philologiam accuratius cognoscamus, quae lectio vocatur *philologica*. Integro hoc opere stilus purior nobis curae est; quam ob rem de secunda lectionis specie in primis disputabimus, ea autem praescripta lege, ut primam ab ea haud seiungamus, quum utraque arctius coniuncta sit, nec secunda primae auxilio, atque ope carere queat.

*
**

Ante omnia considerandum est quinam ex tam multis linguae auctoribus sint legendi.

Quinctilianus (lib. x, cap. I): « Quidam solos veteres legendos putant, neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam et robur viris dignum arbitrantur; alios recens haec lascivia delitiaeque et omnia ad voluntatem multitudinis imperitiae composita delectant » (1).

Sunt illi varii generis et differunt primum ratione aetatis: dantur scriptores linguae latinae, quos vetus et recentior aetas tulit; qui ergo ex illis ad lectionem imitationemque tradendi sunt? Controversia inter clarrisimi ingenii viros non semel agitata, huius loci non est: num veteribus eruditis recentiores, an veteres recentioribus cedant? Namque de lingua veterum Romanorum disputamus, quorum auctores antiqui sine dubio praeferendi sunt recentioribus, quoniam illi fons sunt atque origo, ex qua hi omnia latina sua petierunt; consultius autem est, ipsos fontes audire, quam sectari rivulos, et dulcissimis ex ipso fonte bibuntur aquae; quod tritum nec a veritate alienum est proverbium. Nihilominus recentiores cum veteribus coniungendos esse existimamus, partim ut cognoscamus quomodo illi veteres sint imitati, et ex illorum exemplis discamus applicare et ad usum adferre quae in ipsa latinitate profecimus; partim, quia recentiores auctores viam ostendunt ad habitum de illis rebus dicendi, de quibus nostra aetate loquendum est, comparandum, quarum magna est copia, quae veteribus fuerunt incognitae. Ubi adolescentes ad solos vetustiores scriptores accedunt, discunt quidem de rebus bellicis, civilibus similibusque latine loqui; sed quando dicendum est de argumentis aliis, quae aevi nostri sunt propria, nesciunt quomodo eleganter, quae cogitant, sint exprimenda; sed tamen eiusmodi recentioris aevi scriptores eligamus, qui veteres latini ac puri sermonis laude celebres imitati sunt, et illorum copiam vim atque elegantiam expresserunt, quorum ingeniorum aetas et patrum et nostra ipsa fera fuit.....

Neque non in argumentis est disserimen. Alii enim sunt auctores orationum, alii epistolarum, alii historiarum, alii rerum philosophicarum; quae diversa argumenta faciunt, ut stilo quoque ac dicendi forma differant. Consultum est, quodvis horum scriptorum genus cognitum sibi reddere, ac rectum ordinem in evolvendis illis accurate servare; qui generatim in eo consistit, ut cum ad argumenta, tum dicendi genus advertamus animum et prius versemur in libris historiarum, quam philosophiae; prius in libris epistolarum, quam orationum. Bene agit, qui in latinitate studet proficere, si varii generis scriptores sibi reddat familiares, quoniam ex libris historicorum perspicit nativas vocum significationes; rhetorum metaphoricas et translatas; philosophorum stylum philosophicum. Caracteres suas habent regiones, quibus circumscribuntur, et constitutis finium rationibus differunt, et verborum usu et elocutione alii ab aliis separantur: omne dicendi genus suo et proprio caractere definitur, a quo in multis dependet cultus orationis; etenim in caractere oratorio inest plus dignitatis et maior verborum delectus nitorque dictionis requiritur, quam in philosophico, in quo est oratio simplex et subtilitati congruens, non copiosa admodum neque ornata. Hoc modo pura oratio dicitur, quae propria est et veritate contenta, non laborat de copia et ubertate, nec suavitatis gratiam captat; sic tamen, ut vitii expers sit, et remota ab omni impuritate, quae sermonem vitiat et latinam loquendi munditiem corrumpit.

**

Accedit dicendi genus, quo itidem auctores linguae latinae discrepant; alii utuntur sermone ligato, ut poetae; alii vero soluto. Poetae omnino coniungendi sunt cum solutis scriptoribus; quoniam poesis latina multum facit ad culturam et conservationem ipsius linguae: poetae solliciti sunt de epithetis, quae congruant, de similibus et aptis descriptionibus, de veris synonymis, unde copia verborum, item de accentu.

Quantum poetae contulerint ad linguam hanc conservandam, patet ex historiarum monumentis. Ab Ennii temporibus poetae primi fuerunt, qui latinitatis cultum suscepérunt, saltem tentarunt; quumque soluta oratio amitteret suam auctoritatem dignitatemque, poesis restitit barbarie, cuius rei testes sunt Caelius Sedulius, Prosper Aquitanicus, Sidonius Apollinaris, Alcimus Avitus, Venantius Fortunatus. Praeter haec lectio poetarum alumnis linguae latinae vel ideo necessaria est, ut rationem latinitatis poeticae curatius perspiciant, et id quod bonum sit, ad suum usum afferant, malum autem fugiant. Is autem cum fructu legere potest ligata monumenta, qui in latinitatis studiis iam eas progressiones fecit, ut valeat facultate discernendi ac dijudicandi.

(1) Adde et lib. II, cap. 5.

candi, quid sit elegans atque horridum, quid castum purumque ac barbarum.....

Cicero, ut testis est Quintilianus (lib. X, c. 1), putabat «in lectione poetarum requiescendum». Verum quum caracter poeticus a soluta oratione maxime differat, maturo debet reservari ingenio: nemini est facultas utendi omnibus verbis in classem poetarum descriptis, quae latina quidem sunt, sed prosae dignitatem non semper tuentur; sunt locutiones, quae in prosa nitore aliquo minus dignae sunt; in ligata vero fulgent, veluti propriae poetarum et lumina carminum: ipsi poetae propter diversas dicendi rationes et formas distingnendi, et alii aliis praeferebantur, ac interdum granditatis quoque causa imitandi. Utilitatem, quam in ipso addiscendae latinae linguae studio praestat poetarum lectio, demonstrat prima eruditissimarum de poetis dissertationum Ol. Borrichius, academiae Hasniensis quondam decus: «Grammaticorum - inquit - praceptiones fulciunt, casus obliquos roborant, genera nominum certiora reddunt, orthographiam stabilunt, praeteritis et supinis praestant securitatem, et quidem constantiorem, quam historici et oratores; dirigunt verborum pronuntiationem, immo absque his esse iam proprium actum videremus de mora vocabulorum in pronuntiando, et quaelibet natio idiotismos linguae sua in eloquendo perperam sequeretur; et haec quidem universa ideo a poetis certius petuntur, quia quum solutae dictionis scriptores ob libertatem sibi permisam varias hodie lectiones facillime admittant, poetae vi legis et numeri, cui se adstrinxere, constantiora tradunt».

**

Denique in latinae linguae auctoribus deprehendimus diversitatem stili, qui est modo circumductus, modo concisus aut mediocris; item alii utuntur caractere sublimi ac magnifice, alii humili, aut eo, qui inter utrumque priorem medium tenet rationem.

Huius quoque discriminis ratio habenda est in perlegendis veterum monumentis; quumque caracteres circumductus, mediocris et concisus, multum dependent ex indole ingenii auctorum, nec quodlibet ingenium ad hoc vel illud scribendi genus aptum, necesse est ut heic ad captum nostrum monumenta veterum accommodemus; quamquam ingenii haud maturioribus heic aliquid dandum est, quibus sufficit vim et copiam sermonis perceperisse; confirmati vero atque exercitati primo latinae linguae studio animum quoque ad caracteres hos convertere debent.

In altero stili discrimine id observandum, ut primum iuvenibus scriptores stili humili, deinde mediocris, tum sublimis praelegamus.

At summa stili virtus continetur in castitate. Linguae fata sua habent; id est per aliud tempus coluntur, et sunt nobilissima pectora, quae castitatem earum custodiunt; per aliud vero exulant quasi, nec quisquam est,

qui consulat illarum elegantiae ac nitori, ut ista sarta teataque conserventur. Quo fit, ut barbarae saepe dictiones iuvehantur, et ipse dicendi mos, cuius elegantiae nullam operam dant, ita corrumpatur, ut loquentes inter barbaras gentes educati videantur. Quum eadem fata subierit Romanorum lingua, necesse fuit auctores in classes et ordines dividere, ut pateat quantum quisque in probanda latinitate valeat. Proinde quoniam scriptorum Romanorum alii scripsunt pure, alii vitiarunt immundicie sermonem suum, deceat prudentem tenuoris atque elegantis stili Romani cultorem duces optimos sectari, quos praecipue aetas aurea atque argentea tulit; quodsi solos auctores saeculi aurei sequi vellemus, latinitas sane angustis circumscripta esset limitibus; nec lumen in aetate argentea erat extinetum, quo floruerunt viri suo dicendi genere atque eleganti linguae usu clarissimi. Sed qui adolescentibus commendant monumenta eo tempore edita, quo latinus sermo remisit de pristino vigore atque elegantia, immo ipsa latinitas penitus cedit, minus rebus scholasticis prospiciunt.

Alia est illorum ratio qui ita in his studiis profecerunt, ut sibi ipsi possint consulere, ac facultate bona a malis discernendi sint praediti. Hi ubi operam dant philologiae Romanae, in his monumentis, licet sint barbarae atque horrida, evolvendis versantur, ut videant quo misero casu ceciderit latinitas, ac quid de pristina pulcritudine sensim amiserint. Sed illorum magistrorum temeraria et noxia docendi ratio reiicienda est, qui promiscue auctores, sive puri sint atque elegantes, sive minus, adolescentibus explicant. Quum Tiberius vocem non satis latinam vellet usurpare, intercessit Marcellus, et: «Tu - dixit - Caesar civitatem dare potes hominibus, verba non potes». (1) Adriano de Romana lingua reformanda cogitanti, Favorinus grammaticus cessit quidem, sed ita, ut testaretur non iure quidquam nova moliri in sermone latino, sed vim ei inferre. Ac certatum quoque fuit utrum «Consul tertium» an «tertio» in monumento quodam scriberetur. (2) Tanta olim puri atque incorrupti sermonis cura fuit!

WALCHIUS.

(1) SPARTIAN. in Vita Adriani, cap. XV.

(2) GELLIUS, XI, cap. I.

Quo modo stirpes mediocribus aquis aluntur, abundantibus suffocantur, eodem animus etiam moderat s crescit laborius, nimis obruitur.

PLUTARCH., de Liberis educ.

..... Prima est haec ultio, quod se
Iudice, nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Grat a fallacis pr. etoris vicerit urnam.

Poe:ca autem vehemens
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

IUVENAL., Sat. XIII-XIV.

PUTEUS DESERTUS

(Il pozzo abbandonato) (1)

Carmen ADAE NEGRI - Latine vertit MARCUS GALDI.

*Iam nox incumbit putoe tenebrosa relicto:
Viscida lichenum vis algarumque veneno
Inficit et putres lym has lapidisque salebras.*

*Nullus adest trochlea stridor, non concrepat uncus
Cui sitiae infixae pondus per lora ligatur,
Dum stillans salit: ecce latex nigrescit in imo.*

*Ipsâ al tur venâ, ceu fontis origine vivi,
Qui fluit e saxo renovatis viribus usque
Garulus atque scatens recubantia saecula turbat.*

*Immemor heu quondam optatum tribuisse levamen
Quem prope dira sitis fessum consistere adegit,
Quique refectus abit tandem vultuque sereno.*

*Quid nunc guttatum nitid de margine labi
Crateris iuvat? et fauces et pectus anhelum
Murmure vel gelidis rivis rezare vel haustu?*

*Quod si per puteum scintillat pallida Phoebe,
Sidera quam cingunt tamquam gemmata corona,
Est hilaris fons et fortunae ridet amicae.*

*Tunc vero dicas miseri sensibus undam:
Nunc trepidat properans, gestit modo, murmurat, effert
Sese, dum praeceps vis longa oblivia pellit.*

*Namque venit scatebras baccatus fulgor ad imas:
Per tremulum lumen, per guttam prosilit omnem
Laetus amor: lux est radians, non amplius unda.*

*... Sic quoque consurgis putoe, mi pectus, ab alto,
Quod fossum ante diem retines, quo condis amata,
Postquam mature, miserum, tua cessio facta est.*

*Sic quoque cum fremitu confestim surgis inane
Per visum, et capiunt dum te portenta quietis,
Rursus amas, rursus divinis ignibus ardes.*

Consentiae, a. d. ix kal. Iunii MCMXII.

(1) Vid. *Il Marzocco*, anno XVII, n. 18, 5 Maggio 1912.
— Firenze.

Poëtriae illustri, quae huiusmodi versus hexametros, in quos eius egregium carmen italicum utecumque conversum est, benigne excepti edendique mihi dedit veniam, quamplurimas gratias ex animo ago.

DE INFLUXU CHRISTIANAE DOCTRINAE IN IUS ROMANUM

Ius veterum Quiritium, quo tempore Severi atque Antonini imperitabant, apicem attigit naturalis suae perfectionis; neque id sane sine influxu doctrinae Christianae, quae iam per totum fere orbem pervagata fuerat. Inde enim hausisse visi sunt praeclari saeculi III iurisperiti priores illas, quas profitentur, iuris et aequi notiones. Quae opinio ex eo confirmatur, quod postea felix ea iustitiae et aequitatis progressio interrupta est, quum sub Iuliano illo *Apostata* idolorum cultus reviviscere tentavit.

Verum Constantino, Theodosio et Iustiniano imperatoribus referenda est ulterior et suprema iuris Romani ad Legem christianam conformatio. Constantinus enim, paulo post devictum apud pontem Milvium Maxentium tyrannum, celeberrimum edidit Decretum illud Melitjanense, quo, data Christianis libertate religiosa, finem imposuit cruentis ac saepe renovatis persecutib. Coepit item imperialis neophyta veteres Romanorum leges ad normam iuris christiani accommodare, vitata tamen vi et praecipi celeritate. Quam felicem iuris reformationem anno CCCXXI Nazarius rhetor, etsi paganus, laudare non dubitavit, allegatis novis legibus, quae mores emendant, resecarent vitia, pudorem securum redderent, matrimonium firmarent et a iudiciis captiosas amoverent subtilitates, quibus simplicitas irretiretur.

Influxus hic Christiani spiritus in leges civiles luculenter patet apud iurisperitum Lactantium, qui ver gente saeculo III a parentibus ethniciis natus, christianam religionem amplexus est ante annum CCCIII. Discipulus Arnobii et rhetoricae ipse doctor, merito ob stili elegantiam appellatus est *Cicero christianus*. Praeceptor fuit Crispo, Constantini Magni filio. In quaestib. iuridicis optime versatus, insigne conscripsit opus, a *Divinis Institutionibus* appellatum, ubi haec advertit (cap. I): «Si quidam prudentes et arbitri aequitatis Institutiones civilis iuris compositas ediderunt, quibus civium dissidentium lites contentionesque sopirent: quanto melius nos et rectius *Divinas Institutiones* litteris persequemur, in quibus non de stillicidiis aut aquis arcendis aut de manu conserenda, sed de spe, de vita, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur, ut superstitiones mortiferas erroresque turpissimos sopiaamus?» Hasce Institutiones, libris septem comprehensas, auctor Constantino Magno dedicavit, in iisque sibi proposuit summa capita christiana doctrinæ breviter attingere, uti factum est de iure civili in In-

stitutis per iurisconsultos romanos compositis. Quare scriptor noster saepe utitur iuridicis vocabulis, et affinitatem quamdam prodit eum Ulpiano, eximio saeculi III iurisperito. Porro Lactantius in libris V et VI suarum Institutionum egregie delineat legislationem « socialem » ab Evangelii profectam.

Aliud iuris christiani caput, idque omnino novum, in ius civile hoc tempore transivit, arbitratus nempe ecclesiasticus. Christiani enim, Pauli Apostoli monitis obsequentes, quum inter ipsos lis oriretur, solebant, non ad iudices profanos, sed ad episcopos tamquam arbitros causam deferre: qua quidem ratione et certior spes affulgebat iustae sententiae, ac nimiae vitabantur litium ambages et expensae. Atque ad huiusmodi arbitratus ipsi pagani non raro confugiebant. Iamvero mos ille Christianus auctoritate etiam civili probatus fuit; necessario quidem sequendus in rebus ad religionem et clerum spectantibus; in ceteris vero, si litigantes in id consensissent. Quod arbitratus et iudicium ad eo late se extendit, ut, quemadmodum ex litteris S. Augustini patet, grave saepe atque onerosissimum evaserit episcopis. Hos enim uti patronos et iudices adibant non solum viduae, orphani, captivi et miseri quicumque; sed ipsi imperatores iisdem curam demandabant, ne institores pretium plus aequo mercurium augerent, ne milites minorem iusto annonam acciperent, ne pupilli et mente capti tutoe ac curatore carerent, etc.

Evolutio haec iuris Romani Christiano iure informata, sexto tandem saeculo legum illarum complexum peperit et Codicem Iustinianeum, quem ille imperator « Deo auctore et in nomine Domini nostri Iesu Christi » promulgavit; ubi sub « divinae Providentiae et summae Trinitatis » numine non solum aeternae hominum saluti consulitur, verum etiam eorum temporalis vita ad iustitiae, aequitatis et caritatis cultum dirigitur. Leges Iustinianae, non paucis in capitibus, iisque praecipui momenti, alia statuunt principia a veteri iure Romano diversa, et in alias abeunt conclusiones, spiritui evangelico conformes. Temperatur ibi prisca legum severitas mansuetudine, pietate, misericordia: quod explicitis saepe fit verbis, saepe etiam addita ad veterum sententiam sententia mitiore, huiusmodi clausulis: *Satis tamen est; praestat; benignius, iustius, consultius, tutius, humanius, aequius, commodius est.* Arbori nempe veteris iuris Romani, — ut finem dicendi faciamus, — Iustinianus non solum multos inseruit ramos ex agro evangelico desumptos, verum etiam succum infudit ac spiritum Christianum.

R. F.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Aethiopem lavare seu dealbare.

Adagium peculiariter quadrabit, quum res parum honesta verborum fucis adornatur, aut quum laudatur illaudatus, aut docetur indocilis. — Ortum videri potest ab Aesopica fabula: Quidam mercatus Aethiopem, existimans eius colorem non natura, sed superioris domini negligentia accidisse, nihil non adhibuit eorum, quibus vestes candefieri solent, adeoque perpetuis lotionibus miserum divexavit, ut illum in morbum impulerit, colore, qui fuerat, manente.

Inaniter aquam consumere.

Haec paroemia in eos maxime adhibetur qui frustra suadent; a prisco more iudiciorum sumpta, in quibus ad clepsydrae modum dicebatur. Aeschines contra Demosthenem ostendit primam aquam infundi solere actoribus, alteram patronis, tertiam iudicibus ad poenam constituendam, nisi primis sententiis reus fuisse absolitus. Et Demosthenes Aeschinem provocat, ut vel in sua aqua, si possit, dicat, quod decretum fuerit ipso nunquam auctore scriptum. Huc adludens Lucianus, in rhetorem quemdam iocatur, qui apud barbaros in convivio diceret, non ad aquae, sed ad amphorae vinariae modum. Videtur id etiam subindicare Plato in *Theateto*, quum ait, ad pusillum aquae docere posse, quae gesta sint. Appuleius in *Asino aureo* scribit: « Rursum praeconis ampio boatu citatus accusator quidam senior exsurgit, et ad dicendi spatium, vasculo quodam in vicem colli graciliter fistulato, ac per hoc guttatum defluo, infusa aqua, populum sic adorat ».

Plinius iunior Falconi: « Et qui iuberet posset tacere quemcumque, huic silentium clepsydra indici ». Idem Arriano: « Dixi horis paene quinque. Nam viginti clepsydris, quas spatioissimas accepferam, sunt additae quatuor ». Quintilianus (lib. XII): « Et si quid ipse tibi sumas, probandum est et laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem, aqua deficit ». Demades iocabatur in Demosthenem quod « ceteri quidem ad aquam dicenter, Demosthenes ad aquam scriberet. Philostratus denique in *Adriano sophista* sophistas appellat: « qui aquae exercentur ».

Alii serunt, alii metent.

Id est: alii laborarunt, alii perceperunt emolumen. Consimili figura, quam de Fabio tradit Livius (lib. x) atque etiam adhibuerant Hesiodus in *Theogonia de Fucis* ac *Theognis*, dictum est a

Diocletiano nondum Caesare, se apros occidere, alterum vero pulpamento frui. Quod quidem in illius vita ad hanc fere sententiam refertur: Quum Diocletianus apud Tungros in Gallia, in minoribus adhuc locis militans, in caupona quadam moraretur nimiaeque parsimoniae incusaretur, ioco non serio respondisse traditur se fore liberalem quum Imperator fuerit. Haec foemina quaedam adstans quum audivisset: « Noli — inquit — iocari, Diocletiane; plane Imperator eris simul ac aprum occideris ». Quam quidem mulieris vocem ominis arripiens vice, studiose ille sectari coepit apros in venatu, haud intelligens videlicet omnis aenigma, quod eventus postea explicavit. Nam Numerianus Imperator, factione Arrii Apri, socii sui, interemptus quum fuisset, re prodita, milites Diocletianum vindicem creant, et Augustum consalutant. Is itaque pro concione quo Druiadis illius foeminae dictum expleret, Aprum manu sua confudit, addens Mardonianum illud: « Aeneae magni dextera cadis ». Ceterum interea dum privatus adhuc Diocletianus multos apros confecisset, nec affulgeret usquam imperii spes, dicere solitum ferunt: « Ego quidem apros occido; verum alter fruitur pulpamento ».

Ne Hercules quidem adversus duos.

Hoc est: Nemo usque adeo viribus excellit, ut unus pluribus par esse possit. Potest item metaphora significare et neminem quantumvis eruditum adversus duos in disputando sufficere; aut eundem hominem pluribus negotiis sustinendis non esse simul parem; aut non posse resisti precibus duorum rem eamdem petentium, etc. Sed poterit quoque aliam in formam verti proverbium, ad hunc modum: Si negant vel Herculem adversus duos esse parem, quinam ego tam imbecillis adversus duos Hercules stabo? — Plato (*De legibus*, XI): « Verum est illud, et iam olim proverbio celebratum, arduum esse adversus duo, eaque contraria pugnare, quemadmodum in morbis aliisque compluribus ». Significat nobis esse geminam pugnam tum adversus divitias, tum adversus egestatem. Idem in *Phedone* usurpavit, ubi Socrati, per iocum hortanti, ut Abetem ac Symmiam confutet argumentatione, respondet Phedo, contra duos ne Herculem quidem suffecisse. Eodem adlusat Catullus in *Carmine nuptiali*, quum ait: « Noli pugnare duobus ». Haec denique sententia, tametsi non iisdem verbis aliquoties legitur etiam apud Homerum, ut ex. gr. in *Odyssaea*, quando Telemachus de se ac Procis loquens ait difficile esse ac durum, unum compescere multos.

Occasionem adagii varie narrant. Quidam tradunt Molionidas adortos aliquando Herculem ex insidiis fuisse, atque illum, hominum multitudine territum, non ausum contra resistere, sed fuga saluti con-

suluisse; idque in vulgi sermonem abiisse. Suidas vero refert, Herculem constituto certamine Olympiaco, fretum viribus suis, primum ausum certare cum duobus et utrosque confecisse. Hos aiunt fuisse Creaton et Eurytum, Neptuno patre et Moliona matre prognatos. Deinde proxima Olympiade consimili modo congressum fuisse cum duobus quibusdam, atque ab his fuisse superatum. Quamquam sunt, qui hos existiment fuisse Lacum et Pherandum, sed qui vicerint Herculem, non qui victi discesserint.

At Plato in *Euthydemus* longe diversam ab his historiam adducit: Herculem scilicet cum hydra pariter et cancro quodam immani, qui e mari emergerat, congressum, inferiorem discessisse, atque ob id Iolai nepotis auxilium implorasse. In eo dialogo Socrates cum duobus fratribus sophistis, et, ut sunt illi, contumeliosis disputans, quasi cum duobus monstris unus congressus, quum illi probro obiiceret Dionysodorus, quod fugeret neque ad interrogata responderet, ad hunc modum respondit, quem latine reddimus: « Non iniuria fugio. Nam quum alterutri sim impar, cur non fugiam ambos? Evidem Hercule multo sum imbecillior, qui tamen pugnare pariter non valuit et adversum hydram sophisticam, cui propter sapientiam pro uno sermonis capite amputata multa repullulabunt, et adversum canrum sophistam quemdam e mari profectum, et nuper, ut arbitror, ad vectum. A quo quum Hercules ad sinistram angeretur, verbisque acriter morderetur, nepotis sui Iolai auxilium imploravit, qui abunde illi succurrit. Meus autem Iolaus Patroclus si veniret, magis alteram certaminis partem sustineret ».

Mordaci videlicet allegoria, Socrates e fratribus sophistis alterum hydram, alterum cancrum nominat; se Herculem, Ctesippum, Iolaum.

In dolio figularem artem discere.

De iis, qui protinus maximis in rebus artificiis capiunt experimentum, quum paullatim a minutis ad summa proficiisci conveniat. Neque enim figulus statim a dolio, id est, vase maximo, artem auspicatur, sed a pusillis quibusdam vasculis, in quibus non sit grave dispendium, si quid secus accidat. In hanc ferme sententiam usurpat Plato in *Lachete*, dum Dicaearchus ad aliam sententiam torquet proverbium, ut admoneat unumquemque artificem in suis negotiis exerceri oportere, velut aurigam in ducendis curribus, nauclerum in gubernanda navi, medicum in curandis morbis. Tamquam absurdum sit, figulum in aurigatione versari, re videlicet aliena, ac non magis in dolio. Atque ita hoc pertinebit illa sententia: Quam quisque

novit artem, in hac se exerceat ». Et Horatianum illud in *Epistolis*:

*Navim agere ignarus navim timet, abrotonum aegro
Non audet, nisi qui didicit dare; quod medicorum est
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti, doctique poemata passim.*

Sic propemodum usurpat Gregorius Theologus in apologia *De fuga*; cuius verba sic latine sonant: « Itaque alios velle docere, priusquam ipsi satis edocti sint, et in dolio, quod aiunt, figulinam, in aliorum animis meditari pietatem, mihi quidem videtur hominum insigniter desipientium ».

HORAE SUBSECIVAE

I.

Amico, ut molossum e montibus mittat

Deucalioneis saxis fert fama creatos
Erupisse homines, genitosque crux Medusae
Innumeros colubros Libyae reptasse per oras;
Sic modo, non novi pravo quo semine, magnam
Cernimus hac illac furum succrescere turbam.
Non domino Pomona rubet, non Bacchus apricis
Incoquitur saxis, rapitur gallina per agros,
Furtivamque timent herbae frumentaque falcem,
Denique nil tutum. Celso velut aethere milvus
Fur inopinus adest, avidas atque explicat ungues.
Quorsum haec? respondes. Adverte atque accipe paucis:
Quem dederas domino blandus, terrorque latronum
Indomita occubuit consumptus tabe molossus.
Quo mihi nunc alium quaeram? De montibus istis,
Unde venit genus acre, lupis pugnare vel ipsis
Non impar, nostris custodem suffice campis.
Robore sit praestans, magnis latratibus arva
Personet, atque omnis metuat vicinia morsus.
Sic mea tu servans dulcem tutabere amicum
Qui, ut datur, effugiens urbem, secedit in agros,
Nec curis angi, nec vult trepidare pavore.
Rides? Curanti an caute prohibere minores
Auribus instillas, praedones pelle togatos,
Qui emungunt populum claro sub lumine solis,
Plenasque exsiccant gazas, dum pectora signis
Condecorata ferunt et regia limina calcant.
Hi verae Italiae pestes, hinc omnis egestas.
Novi; sed primis satis est cum fuste molossus
Arcendis: istis nec Cerberus ore trifauci.
Fertur Alexander quandam cum paupere cymba
Praedantem pelagus iecisse in vincula. At ille;
Qui modica abripi, obstringor praedoque vocor; tu,
Urbes ac regna usurpans, cognomine magnus
Diceris, et populi flexo te poplite adorant.
Tempora magnorum nunc illuxisse putato.
Quid facias? Nil ira iuvat: res vertere ineptus,
Demitto auriculas nimio sub pondere curvus.

II.

Amico, quaedam vitae documenta exhibentur

Nosceis sextilis quantum delasser ab aestu,
Utque domo egrediar cum vespertilio rimis
Erumpit stridens, tacitis ac noctua campis
Ad praedam volitat. Dulces invisere amicos
Ne me igitur tentes dum torrent tela diei,
Et Canis arentes e caelo verberat agros.
Nigra istie, memini, nodoso robore silva
Frondebat, sed cuneta manus succidit avara.
At ne forte putas rebus studiisque teneri
Segnius absentem vestris, mihi vivitis omnes
Iucundi, nemoque isthinc venit unus ad urbem
Quin ego sollicitus de cunctis plurima quaeram.
Sed nunc te scriptis adeo: festiva caterva
Ut valet? An furtim saliens discurrit in agros
Dulces decerpens uvas, curisque soluta,
Dum laute in libris agitant convivia blattae,
Mille iocos nectit? tumido cum ventre Valenus
Quid mihi lensus agit? Speculator in aethere nubes
Praedicit pluviam cum fossae atque arva redundant,
Aut avium generi exitium meditatus acerbum,
Trudit et in somnis pingues ad retia turdos?
Vir prudens, carus pueris, sincerus amicus;
Ac nisi difficilis persaepe ac nubilus ore
Praeda ubi deficiat, summis laudandus et imis.
Quod si nos aliqui nigris incessere dictis
Haudquaquam cessant, cunctis, mihi fare, probantur
Qui modo non carpunt? - aut quisnam accepit honorem
Dentemque invidiae numquam persensit? Ineptus
Qui magis est oneri dignos ille aerius urget,
— Cede locum, mihi iure venit, — quae iuris origo? —
Utile; rem facere atque alieno crescere marte
Cuique datum, expulsis aliis. — Suspendere tignis
Ut solet ac filis innectere aranea muscas,
Sugat ut ad mortem captas, sic explicat artes,
Ut perdat gens prava bonos, gemat aemula virtus.
Nulla salus igitur? — rectos invertere mores.
Tunc quaque indutus tunica, quocumque colore,
Invenies multos, urgent si adversa, patronos. —
Ast herbis satius, satius vel pane secundo
Vescier et vilem sperni, quam serpere terrae
Aut unguem a recto virtutis tramite flecti.
Hi tibi sint animo sensus; te crimina iure
Compellunt? Sapiens obliquos corrigere mores:
Te insontem feriunt? clamores inter et iras
Perge iter inceptum generosi more leonis
Inter latrantes arguta voce catellos.
At si me officio eiificant? imitare Catonem,
Laetum post magnam, mendax ni fama, repulsam,
Ludentemque pila; ride discede animosus
Atque novos homines erecta despice fronte.

Auximi.

P. RECANATESI

ADSCENSUS IN ALPES

Iam venit aestas, Iulioque mense fervente lassi iam lacerti elanguent. Quid urbes et agros, quos siccus Cancer adurit, non relinquimus, illasque nives hiemali tempore formidine quadam et horrore conspectas non adsequimur? Adscensus in Alpium surrectos caelo scopolos, non vires tantum corporis roboret, sed animos erigit, atque ad invisibilium amorem rapit. « Evidem in huiusmodi commercio quod cum natura instituimus — scripsit Constantius Ferrinius, Papiensis ille athenaei doctor pientissimus, quem Itali defunctum paucis abhinc annis

glaciem, aut ex amicis lunae silentiis in deserta valle iocantis, laetitia efferri; qui denique carpat flores in finibus perpetuarum nivium crescentes, tantoque caeli risu inter tot montis horrores exsultet; puer iste factus inde homo, salvo conscientiae suae officio redibit ».

Quae si de Alpibus generatim iure meritoque dicenda sunt, quid de Alpium, imo universae Europae, regalibus iugis loquamur, quae Montem Album, prout vulgo nuncupatur, constituunt? Ad quatuor metrorum millia et octingenta quindecim attollitur in Sabaudia, ex eiusque fastigiis, trium numero, conglaciata flumina sexdecim variae magnitudinis per septentrionis collum, viginti vero per australe defluunt. Ex cacumine, cuius Phoebus magis quam octoginta per anni dies duratas



Montis Albi et Camonii oppidi prospectus.

luxerunt, tantoque honore adhuc prosequuntur ut a Summo Pontifice nuper commissionem rogaverint ad causam beatificationis et canonizationem pro eo probandam — in huiusmodi, inquit, commercio Deum proximum sentimus, eiusque portenta admiramur: mens nostra pulcritudinis ac boni capacior fit, fortitudinem ac decorum attingit, grandia fata sua praevident. Illos vere beatos, qui ad hunc ludum gravem eundemque potentem vocantur! Date mihi puerum, ut hederam, maternis vestibus iampridem adhaerentem, excellentiae cuiusvis, vel rationis quae proprie singulis tribuatur, expertem; contra, imbellis timoris plenum, imbellis magis posterae licentiae indicii; date, inquam, puerum istum mihi, quem per Alpes perducam, atque in naturae obstaculis futuras vitae difficultates vincere ediscat; ediscat ex oriente sole in montis quadam crepidine conspecto, aut ex occidentis luminis fulgore per

nescit flammis mollire pruinias, amplissimum quem Europae reperire quaesieris prospectum videre est: Helvetiam omnem, Galliae, Italiae ac Germaniae aliquam partem. Ab anno MDCCLX, quum Saussure, Genevensis doctor physicus, praemium ei constituit qui aditum ad Montem Album inveniret, complures eius fastigia evadere conati sunt, quae tandem mense Augusto an. MDCCLXXVI Iacobus Balma et Paccard doctor attigerunt, annoque post cum iis Saussure ipse, qui horas quinque ibi remansit ut disciplinae suae experimenta ageret, montisque altitudinem dimetiretur. Nostris diebus iter facilius apparet, ipsisque mulieribus pervium: comitatus Camonio procedunt, parvo illo ex oppido ad pedes Albi montis, quod originem duxisse ferunt ex coenobio quodam Fratrum Ordinis S. Benedicti, an. millesimo nonagesimo nono post Christum natum a Genevensi duce in ea valle condito.

DE LUSU QUI VULGO DICITUR "LA DAMA",

Prudentissimus vir Ioannes Bosco, sacerdos Taurinensis, qui vitam omnem in erudiendis pueris docendisque transegit, eo potissimum spectabat, ut suae doctrinae alumni corpora identidem ludis gymnicis exercerent, sicque animos a curis recrearent. Ac propterea eos cursu iocari modo cupiebat, nunc corporis exercitationibus, nunc saltu; denique lepide hue illuc cursitando clamitare, ut essent « sollicitae porro, plenaeque sonoribus aures ». Ita suos animi causa ludere exoptabat sanctissimus ille magister, « utiliumque sagax rerum ». Haud aliter, temporibus suis, Philippus Nerius facere consuevit, ut Romana soboles iis artibus formaretur, quae ad humanitatem atque ad religionem pertinent. Sic moribus iuventutis recte inserviens, suos semper monebat ut honeste iocarentur, eosdemque ad diversandum diebus feriatis haud procul ab urbe ducebat.

Lepide iis indulgens: « Vobis permitto, — dicebat, — ut reboantes sitis aliquando et stridentes, dummodo peccato abstineatis, cursitare atque ita tenuiter corpus recreare volo ». Idque pio sedebat homini, et plurimis nos verbis saepe saepius ad cursitandum vel exemplo incitabat.

Quae cum ita sint, aegrius admodum suos latrunculis ludere patiebatur, et modo quum saeviente hieme late ludere haud permitteretur: — « Currite, — aiebat, — nunquam sistite, vel saltem colloquentes deambulate ». Argute enim addebat: « *Hi latrunculi* sunt vobis admodum nefasti; vobis qui salutem insidiose auferunt ».

Hisce tandem posthabitis, ad rem venio. Si tu spatium praeteriti temporis respicias, iam illud illico in mentem subvenit, quo beatiores, rebus gravioris momenti ablegatis, genio unice servientes, ut tempus tererent, in aedibus suis rusticannis, cum paucis amiculis, in primis latrunculis luderent, qui armis plerumque indurati rem bellicam vel iocando exercerent, dum matronae, levioribus rebus adsuetae, ne suam saepe mentem nimis aggravarent, scrupis humiliter ludunt, qui suum sibi nomen ab ipsis usurparunt.

Quid enim ipsae utilius, quid levius agerent? Sic ipsis abibas:

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas!

— Quid struis hisce ceptis?

— Venio ad vos, seu melius ad duodecim scrupos, seu clarius « alle dame ».

Adest in medio alveolus, et tamquam acies consistit in agmen quadratum. Ibi in parvulis quadratis, albo pictis colore nigroque, ex copiarum ordine, scrupi aliis alii obvii. Quorsum tandem omne luctantium spectat propositum? Illuc omnino, ut admovendo e more scrupos, ita progredi possit, ut in ultimam alveoli partem incolumis perveniat. Sed multa sunt equidem animadvertisenda. Cave ne adversarius e latere tacitus adve-

niens, te supergredi possit! Si tamen tu facile velis ad finem pervenire, cura ut identidem tuus scrupus adversarium oppetat seiunctum. Sic eum e medio eripies; quod optime, ludentium vocabulo, dixeris: *Comedo!*

Sed ut cito hoc tibi facere contingat, et, nullo prohibente, cursum pergere, arte tibi opus erit, ut aciem ita perficias, ut sine vulnere adversarium continuo ferias ac vulneribus confodias. Quod quidem eveniet, si comedere hinc atque illine in media acie prolapsus milites seu scrupos destruas. Et res erit tibi felicior, si alterum post alterum, uno modo transvecto quadrato, offendas.

Tunc enim, omnibus remotis periculis, quum in ultimam alveoli partem perveneris, facile princeps eris, quoniam scrupus hic, *dama* nomine donatus, poterit in adversarii aciem liberrime incurrere, vel ante vel retro, pro voluptate atque arbitrio irrumpere usque ad interitum. Hisce peractis, adversarius ad incitas redactus, unum post alium, nullo prorsus obsidente, scrupos e medio eripere fastidiose viderit. Hic demum, ut dux in hominum certamine, in ancipitia coniectus, suis omnibus captis, adversario victoriam demisse relinquat.

SUBALPINUS.

COLLOQUIA LATINA

Auditiones. (1)

ELEUTERIUS. — Cur vos, Modeste et Damiane, hesterna die et nudius tertius non adfuistis in gymnasio?

MODESTUS. — Nihil dissimulabo. Ob cruditatem minus belle valui; nunc sum meliusculus.

DAMIANUS. — Ab amico in hortos suburbanos, hoc mense anni amabilissimo et laetissimo invictatus, recusare nec potuisse, si voluisse; nec si maxime potuisse, voluisse: est enim ille de amicis meis veterissimus et fidelissimus. Inde autem aliquanto post, quam putabam, in urbem reverti.

E. — Undenam discetis quae nos interea magister docuit?

M. — Legi iisdem de rebus, quem anno praeterito accepi muneri a patruo meo commentarium.

D. — Ego ex autographo condiscipuli alicuius ea mihi describam.

E. — Arbitramini igitur vos isto modo eadem assequuturos et intellecturos perfecte omnia?

M. — Quidni? Quin iam assequutus sum; nihil requiro.

D. — Per paulum aut nihil interest, ut quidem opinio mea fert, audiverisne an postea descripseris.

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis passim retractavit I. F.*

Et hoc est commune eorum solatium, qui vel voluntate vel casu aliquo abfuerunt a ludo, posse aliunde describere. Sunt qui nullum idcirco angorem capiunt, nec ideo fortunis suis desperant quamquam menses totos docentem non auscultaverint.

E. — Magno errore uterque ducimini.

M. — Si placet, demonstra nobis istum errorum.

E. — Longe praestat audire quam legere, etiam si multo diligentissime legas.

D. — Quid ita vero? Non egemus libris disertis, elegantibus, eruditis, unde hauriamus scientiam; et quae legimus intelligimus, neque enim adhuc nucibus ludimus, ut proinde iactura audiendi, paucorum praesertim dierum, tam graviter et inique ferenda non sit.

E. — Legendi semper est occasio; non est semper audiendi.

M. — Non sit; quid tum?

E. — Lectio solitaria est veluti quidam somnus; auditio veluti vigilia. Viva vox praceptoris magis nos afficit, plenius quasi pascit et alit, et altius descendunt in animum, in eoque tenacius inhaerent, quae pronunciatio, vultus, habitus, gestus docentis affixerit. Quid, quod illa moderatio et variatio vocis cuiusdam commentarii efficacitatem obtinet, et quaedam eorum quae dicuntur est illustratio? Quid, quod plura fere dicuntur de una eademque re in schola, quae non item scribuntur; quia neque possunt commode scribi, neque vult ea magister calamo excipi?

M. — Nihilominus acriora absolutioraque sunt quae legimus in auctoribus.

E. — Ut hoc concesserim, quoniam plus operae consumunt qui libros edunt, quam qui de superiore loco docent, tamen obscuriora et involutiora esse quae scribentur, tu mihi vicissim concedas oportet. Non enim se liber ipsem explicat, ut praceptors facere consueverunt, qui multis exemplis, sententiis, argumentis utuntur et nihil quod verentur non intellectum iri, praetermittunt quin declarant. Quod autem scriptum est semel, hoc per saecula tale, quale fuit ab initio, sive clarum, sive obscurum, sive facile et expeditum, sive difficile impeditum que manet. Interroga millies quid hoc, quid illud sibi velit, nunquam respondebit liber tuus quem volvis. Conquerenti Alexandro regi cum Aristotele, quod libros physicorum edidisset, quos rex compressos teneri cupiebat, ut quomodo imperii, sic scientiae gloria praestaret multis mortalibus, rescripsit philosophus, sciret illos libros esse editos et non editos; neque enim posse intelligi nisi ab iis, qui sibi docenti praesentes dedissent operam. Praeterea fieri aliquando potest, ut tam probatus et doctus non sit liber, et ita te parum adiuvet, quin immo multum tibi noceat. Atque ut proba-

tissimus sit, ego certe eximium praceptorum malo, quem tamquam ex multis libris unum quemdam, vivumque librum contempler: qui scilicet multa et multos pervolutaverit, et tamquam sedula apis e diversorum flosculorum succo unius cuiusdam dulcissimum saporis succum expresserit.

D. — Tam ingeniosi acutique nos haud eramus, ut ista animadverteremus, quae tu nos modo nec opinantes docuisti.

M. — Ad tuam sententiam meum aggrego iudicium. Providebo ut post hunc diem audiam quotidie, nisi morbi alicuius gravitas prohibuerit, aut medicus publico abstinere edixerit.

D. — Ego in dies festos convivia et hortorum istas invitationes reiiciam.

E. — Tantum tribui a vobis orationi meae, et non displicuisse consilium, magnopere, non mea quidem, qui tantum nec agnosco nec postulo, sed vestra caussa laetus sum.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. ix mens. Maii MCMXII in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur: ABBÉ JULES CLARAZ, *Le mariage des prêtres*. —

Paris 1911.

IZSÓF ALAJOS, *A gyakori szent áldozás és az eletpszichologia*. — Budapest, 1910.

TH. DE CAUZONS, *Histoire de l'inquisition en France*.

Paris, 1909.

— *Lubium*: Utrum Episcopus loci, in quo aliquis auctor eidem non subditus librum, a proprio Ordinario iam examinatum et praelo dignum iudicatum, publici iuris facere desiderat, istius libri impressionem permettere possit, quin eum novae censurae subiicere debeat.

Resp. — Affirmative, apponendo iudicium «Nihil obstat» censoris alterius dioecesis ab istius Ordinario sibi transmissum.

(Ex decr. eiusdem diei IX mens. Maii MCMXII).

Ex Congregatione Rituum.

Dubia resoluta circa novas Rubricas. (1)

XXXI. — Num occurrente Festo novem Lectionum in Feria II et IV Rogationum et in feriis Quatuor temporum Adventus et mensis Septembris, legi possint et debeant Lectiones de Scriptura, quae die immediate antecedenti vel sequenti fuerint impeditae, si festum illud novem Lectionum Lectiones proprias vel de Communi non reposcat? — Resp. Affirmative.

XXXII. — Et quatenus affirmative ad XXXI, 1) utrum Lectiones de Scriptura diei praecedentis, an

(1) Cf. num. sup.

Lectiones de Scriptura diei sequentis sint praeferendae, si ambae fuerint impeditae ; 2) num a sua die Lectiones de Scriptura occurrente amoveri possint ut in fériis Homilia habentibus Lectiones de Scriptura legi possint, ita ut, exempli gratia, si Lectiones Feriae II infra hebdomadam III Adventus impediantur, poni possint et debeant in feria III, et Lectiones Feriae III in Feria IV, et ita in similibus ? — *Resp.* Quoad primam partem, legantur Lectiones diei praecedentis ; quoad secundam partem affirmative.

XXXIII. — Num initium alicuius Libri, si aliter poni nequeat, reponi possit et debeat in Festo novem Lectionum, quod Lectiones revera proprias et historicas in I Nocturno habeat, prout habent utraque Cathedra et Vincula S. Petri Apostoli, Conversio S. Pauli Apostoli, Inventio S. Stephani Protomartyris et similia ? — *Resp.* Negative.

XXXIV. — Et quatenus negative ad XXXIII, num idem dicendum sit de Lectionibus appropriatis, prout sunt appropriatae in festo Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli, S. Mariae Maioris et in similibus ? — *Resp.* Negative.

(Ex deer. d. xix mens. Apr. MCMXII).

Dubia varia.

I. — Utrum decretum n. 3096 — quo declaratur die xxv mens. Aprilis occurrente in Dominica, in Ecclesiis ubi unicus est Sacerdos, Missam cum cantu Rogationum, quando fit Processio, valere etiam pro adimplendo onere Missae Parochialis — extendi possit ad Missam quae cani permittitur de Festo Commemorationis solemnis SSmi. Corporis Christi Dominica infra Octavam eiusdem, saltem ubi fit Processio ? — *Resp.* Negative, nisi obtineatur indulatum.

II. — An decretum d. xi mens. Maii MCMXI ad II — quo edicitur organum adhiberi posse, in casu necessitatis solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silente organo quum silet cantus in Officiis et Missis in quibus sonus organi prohibetur (1) — semper valeat, sive adhibeatur cantus Gregorianus, sive polyphonicus ? — *Resp.* Affirmative.

III. — Lectiones II Nocturni in festo S. Agnetis V. M. suntne historicae, ita ut legi possint et debeant tamquam IX lectio si idem festum ob occurrentiam festi superioris ritus vel dignitatis simplificatur ? — *Resp.* Affirmative.

IV. — In Completorio post secundas Vespertas Dominicæ Palmarum debentne diei preces, quando in Vesperis facta sit commemorationis duplicitis die sequenti occurrentis, proindeque simplificati ? — *Resp.* Negative.

V. — In locis in quibus festum B. Gasparis del Bufalo C. recolitur sub ritu dupli maiori vel minori, dicendae ne sunt lectiones I Nocturni propriae, an potius de Scriptura occurrente ? — *Resp.* Serventur

propriae, si fuerint concessae, iuxta novas Rubricas, tit. I, n. 4.

VI. — Antiphonae et psalmi ad Matutinum commemorationis omnium Ss. Romanorum Pontificum, e communi Apostolorum desumpta, itane censenda sunt propria, ut recitari debeant etiam si eiusmodi festum celebretur sub ritu dupli maiori vel minori ; an potius, utpote de communi desumpta, cedere debent antiphonis et psamis de feria ? — *Resp.* Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam.

VII. — Idemque estne diendum de responsoriis I Nocturni, ita ut, omissis lectionibus de Scriptura occurrente, recitandae sint lectiones « Laudemus viros » de communi ? — *Resp.* Affirmative.

VIII. — Infra octavam Commemorationis solemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C., si fiat commemorationis duplicitis simplificati, debetne adiungi tertia oratio, an potius omitti ? — *Resp.* Omittatur tertia oratio.

IX. — In Missis de vigilia vel de feria propriam Praefationem non habente, dicendane est Praefatio propria festi vel octavae, cuius factum sit officium ? — *Resp.* Affirmative.

X. — Itemque in iisdem Missis dicendumne est *Credo* ratione festi vel octavae symbolum habentis ? — *Resp.* Negative.

XI. — In Missis pro Sponsis, sicut in aliis Missis votivis ex privilegio celebratis, in duplicitibus adiungendane est tertia oratio ? — *Resp.* Negative.

(Ex decr. d. xxiv mens. Maii MCMXII).

Instructio super privilegiis quae in triduo vel octiduo solemniter celebrando intra annum a Beatificatione vel Canonizatione per rescriptum Sacrae ipsius Congregationis a Summo Pontifice concedi solent.

I. — In solemniis, sive triduanis sive octiduanis, quae in honorem alicuius Sancti vel Beati celebrari permittuntur, Missae omnes de ipsa festivitate ob peculiarem celebritatem dicantur cum *Gloria* et *Credo*, et cum Evangelio S. Ioannis in fine, nisi legendum fuerit ultimum Evangelium Dominicæ aut feriae aut vigiliae, quoties de his facta fuerit commemorationis.

II. — Missa solemnis seu cantata, ubi altera Missa saltem lecta de officio currenti celebretur, dicatur cum unica oratione ; secus fiant illae tantummodo commemorationes quae in duplicitibus primæ classis permittuntur. Missae vero lectae dicantur cum omnibus commemorationibus occurrentibus, sed orationibus de tempore et collectis exclusis. Quoad Praefationem serventur Rubricæ ac Decreta.

III. — Missam cantatam impediunt tantum Duplia primæ classis, eiusdemque classis Dominicæ, nec non feriae, vigiliae et octavae privilegiatae quae praefata duplia excludunt. Missas vero lectas impediunt etiam Duplia secundæ classis, et eiusdem classis Dominicæ, et feriae, vigiliae atque octavae quae eiusmodi Duplia primæ et secundæ classis item excludunt. In

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. XIV, n. VII, pag. 108.

his autem casibus impedimenti, Missae dicendae sunt de occurrente festo vel Dominica, aliisve diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat, cum commemoratione de Sancto vel Beato et quidem sub unica conclusione cum oratione diei in duplicibus primae et secundae classis; aliis autem diebus commemoratione de Sancto vel Beato fiat sub distincta conclusione post orationem diei.

IV. — In Ecclesiis ubi adest onus celebrandi Missam conventualem, vel parochialem cum applicatione pro populo, eiusmodi Missa de occurrente Officio nunquam omittenda erit.

V. — Si Pontificalia Missarum de festivitate ad thronum fiant, haud tertia canenda erit, episcopo paramenta sumente, sed Hora Nona; quae tamen Hora de ipso Sancto vel Beato semper erit; substitui nihilominus eidem Horae de die pro satisfactione non poterit.

VI. — Quamvis Missae omnes vel privatae tantum impediti possint, semper nihilominus secundas Vesperas de ipsa festivitate solemniores facere licebit absque ulla commemoratione; quae Vesperae tamen de festivitate pro satisfactione inservire non poterunt.

VII. — Aliae functiones ecclesiasticae praeter reccensitas, de Ordinarii consensu, semper habere locum poterunt, uti Homilia inter Missarum solemnia, vel vespere oratio panegyrica, analogae in honorem Sancti vel Beati fundendarum preces, et maxime solemnis cum Venerabili Benedictio. Postremo vero Tridui vel Octidui die hymnus *Tz Deum cum versiculis Benedicamus Patrem, Benedictus es, Domine exaudi, Dominus vobiscum* et oratione *Deus cuius misericordiae* cum sua conclusione nunquam omissetur ante *Tantum ergo* et orationem de SSmo. Sacramento.

VIII. — Ad venerationem autem et pietatem in novensiles Sanctos vel Beatos impensius fovendum, Sanctitas Sua, thesauros Ecclesiae aperiens, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui vere poenitentes, confessi ac Sacra Synaxi refecti, ecclesias vel oratoria publica, in quibus predicta triduana vel octiduana solemnia peragentur, visitaverint, ibique iuxta mentem eiusdem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces fuderint, indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta, semel lucrandam, applicabilem quoque animabus igne piaculari detentis benigne concedit: iis vero qui corde saltem contrito, durante tempore enunciato, ipsas ecclesias vel oratoria publica inviserint, atque in eis uti supra oraverint, indulgentiam partiale centum dierum semel unoquoque die acquirendam, applicabilem pari modo animabus in purgatorio, existentibus, indulget.

(Dat. d. xxii mens. Maii MCMXII).

Pueri neque nimia severitate contineantur, neque deliciis assuescant.

PLATO, *De leg.* VII.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iunio MCMXII).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiuvant, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Carolus Magalhaes de Azeredo, a secretis Brasiliensis legationis apud Apostolicam Sedem; Bernardus Blumensthihl, Comes; Maria de Ferrari, Duccissa; invenies choralis scholae S. Mariae de urbe Chicagine; Pontificii Instituti Biblici doctorum collegium a r. p. Leopoldo Fonck, praeside, coram adductum; r. d. Ioannes Maria Zonghi, Academiae Nobilium Ecclesiasticorum Rector, cum sacerdotibus sex, qui iam Evangelici, prouti vulgo nuncupant, Pastores in Anglia, Catholicam Fidem recens professi sunt et Sacris Ordinibus aucti; Chigi, Aldobrandini et Lancellotti, Urbani Principes, eorumque familiae; D' Erp dynasta, Belgicae legationis minister apud Apostolicam Sedem; coetus catholicorum iuvenum in Romano athenaeo studiis vacantium; doctores et alumni Urbanae « Superioris Scholae de Musica Sacra »; manus catholicorum a Chilensi civitate ex Palaestina reducum; Otho de Ritter de Gruenstein, Dynasta, Bavariae minister cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Ioannes Schonburg-Hartenstein, Princeps, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; Petrus Iosephus de Roda y Gamio, a secretis Peruviana legationis apud Apostolicam Sedem; De Hoochker, Dynasta; pueri ac puellae ex Calabro-Siculo terraemotu superstites in Romanis ephoebeis munificentia ipsius Summi Pontificis ad quadrigenitorum numerum alti; peregrinorum manus ex Neapolitana archidiaecesi et ex insula Maiorica; catholici iuvenes in Urbe scholis ordinis secundi vacantes.

Pontificiae electiones.

Provisio ecclesiarum. — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet; cathedrali ecclesiae Pactensi praefecit rum. Ferdinandum Fiandaca, hactenus episcopum Nicosiensem; titulari ecclesiae archiepiscopali Trapezunitinae revnum. Iosephum Camassa, iam episcopum Melphiensem et Rapollensem; cathedr. eccl. Fe-retranae sac. Raphaëlem Santi, archidioec. Bononiensis, ibidem parochum loci vulgo « Pieve di Budrio »; metropolitanae eccl. Ianuensi revnum. Andream Caron, hactenus episc. Cenetensem; cathedr. eccl. Mandatiensi r. p. Aloisium Misic, O. F. M. Unionis Leonianae; tit. eccl. episc. Lyrbensi sac. Antonium Papp, Vicarium generale dioec. Munchaciensis Ruthenorum, quem constituit coadiutorem cum iure futurae successoris revmi. Iulii Firczak, episcopi Munchaciensis. Ruthenorum.

Nominationes Episcoporum. — Brevi Apostolico nominati sunt: r. p. Beda Beckmeyer, e Congregatione Silvestrina O. S. B., episcopus Kandiensis in Indiis Orientalibus; r. p. Ioannes Biermans, e Societate Missionariorum S. Iosephi De Mill-Hill, episcopus tit. Gargarensis et Vicarius Apostolicus Nili Superioris; r. d. Paulus Dumond, ex Instituto Sacerdotum a Missione, episcopus tit. Curubitanus et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus Ce-li maritimi in Sinis.

Nominatio Praefecti Apostolici. — Per decretum S. Congregationis de Propaganda Fide r. p. Liberatus ab Exel (Iacobus Cluts) Praefectus Apostolicus novae Praefecture Apostolicae Sumatranae nominatus e.s.f.

— R. p. Antonius ab Assumptione, Minister generalis Fratrum excalicatorum Ord. SSmae Trinitatis, inter Consultores S. Congregationis de Religiosis adnumeratur.

— Rr. pp. dd. Alfonsus Foucaul, episc. S. Deodati; Ioan. Bapt. Fallize, episc. tit. Elusan. et Vicarius Apostolicus Norvegiae; Gislenus Veneri, episc. Aquaependen., inter episcopos Pontificio solio adstantes referuntur.

Varia.

Die vigesima octava, sub vespere, Pontifex in Vaticanam basilicam descendit, sepulcrum Apostolorum Petri et Pauli veneraturus.

ANNALES

Regalia itinera.

Iunius mensis ob regalia itinera praeter ceteros huius anni insignis evasit, Primum enim Gulielma, Batavorum regina, cum « Princeps consorte » Lutetiam Parisiorum tenuit, cuius apud cives illam prope dicam naturalem fascinationem renovavit, quae Batavos cum regina sua arcto vinculo tenet adstrictos.

Fere iisdem diebus Vindobonam Franciscum Iosephum visitaturi adiverunt Ferdinandus, Bulgariae rex, et Nicolaus, rex Montis Nigri: alias alii propinantes regales viri amicitiam palam ostendere voluerunt inter Austrorum Hungarorumque imperium atque finitimas Balkanicas civitates, quasi pignus pacis haud facile illic perturbandae.

Bulgarorum Caesar deinde Berolinum petiit humanissime a Gulielmo Imperatore acceptus tum ob interruptas nunquam duorum populorum rationes benevolentiae plenas, tum etiam ob cognationem inter utramque regiam stirpem intercedentem.

Denique praetereundum non est Russorum Cæsarem, post multos absentiae annos, cum familia omni Moscoviam rediisse, ut inibi aliquamdiu commoraretur; quod quidem de interno Russici imperii statu in melius verso non adsperrabile indicium praebet.

Bellum inter Italos atque Turcas.

Diaria huius belli non retulerunt eventus, unde certior spes affulgeret, fore ut pax brevi restituatur. Turcarum enim gubernium cuivis hortatui reluctans, ne proculdubio Iuvenum Turcarum factionis auctoritatem apud populum suum aliqua ratione minuat, cives falsis omnino nunciis ludit; quae tamen facere non possunt quin revera Itali, lente quamvis, possessiones suas amplifcent. Itaque die Iunii mensis tertia litus ad meridiem Bengasi urbis Ghemiez usque tormentis bellicis flagellarunt; die octava insignem victoram ad Zanzur de hostibus retulerunt; die decima sexta ad Misurata novas copias in litus exposuere; denique postremis mensis diebus, post alacrem strenuamque oppugnationem, Sidi-Said, Turcico magni momenti propugnaculo, potiti sunt.

Ad hasce Turcarum miserias accedunt rebelliones militumque defectiones in Albania, civilis belli praenuncia; quae fortasse administros ad meliora consilia tandem adducent.

Mauritanæ res.

Nihil ex Mauritania hodie memorabile: rerum enim status immotus per proximum mensem mansit. Lyautey, supremus Gallorum militum illic praefectus, imperii summam tranquille consequutus est, dum Mulay Afid, Mauritanorum imperator, Fez ab urbe tranquille pariter Rabat pervenit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** quum malae valetudinis causa Loreburne, Magnus Cancellarius, a munere recessisset, ei Haldane suffectus est; in cuius locum, ut belli negotiis praeesset, Seely chiliarca delectus, ex populi legatis.

In **Bavaria** de rationibus acceptorum et expensarum non sine acrimonia disceptatur.

In **Belgica** comitia tum ad publici coetus tum ad senatus oratores eligendos favorabilia catholicon partis omnino cesserunt.

In **Hungaria** ut « obstructionismi » — prout vulgo aiunt — artes contra leges de militari re instauranda firma manu vinceret, Tisza Comes, publici coetus praeses, ipsas leges conglobatim suffragio proposuit, quumque opposita factio clamoribus omnis generis obsisteret, eam militari manu ab aula expulit. Haec causa condemnabilis illius eventus, per quem Kovacs, populi legatus, post praesidis vitam manuballistula frustra (bona sorte) petitam, in se ipsum arma iniecit.

In **Italia** a Senatu confirmata lex de iure suffragii amplificando.

In **Lusitania** administratorum collegium, praeside ipso Vasconcellos, reformatum. Nulli iuris a Senatu facta lex de legatione apud Apostolicam Sedem abolenda.

In **Turcarum** imperio commercii foedus cum Germania ad annum prolatum.

PER ORBEM

Die IV mens. Iulii MCMXII vehemens incendium Constantinopoli exoritur, unde ad duo millia domorum absumuntur.

— d. V Leodii et per Belgicam passim a socialistarum factione, quae a comitiis ad publici coetus legatos eligendos inferior recesserat, tumultus excitantur, quos armata manu nec sine sanguinis effusione cohibere necesse est.

— d. VI Mediolani obit Iulius Ricordi, musices artis cultor et Maecenas apud Italos valde notus.

— d. VII Bodalte, Canadensis civitatis oppidum, fere omne fortuito incendio vastatur.

— d. VIII Woellersdorffensis pyrogranae custodia et ipsa necopinato casu incenditur magna tum rerum, tum hominum ruina.

— d. IX coram immensa populi multitudine Washingtonia in urbe monumentum, Christophoro Columbo dicatum, sollemni ritu inauguratur.

— d. XI Cuba ex insula cruenta nigritarum rebellio nunciatur.

— d. XII Lutetiae Parisiorum, senectute conficitur Fridericus Passy, oeconomiae disciplinae magister late celebratus, auctor inter primores internationalis foederis ad pacem fovendam, an. MDCCCCI Nobelio praemio ob id donatus. Natus erat anno MDCCXXII.

— d. XIII Reichenhall, Hungariae in oppido, moritur Winter doctor, historicus et milesiarum fabularum scriptor, Pragae natus an. MDCCXLVI.

— d. XIV immane aliud incendium Constantiopolis fuit in vico Galata.

— d. XVI curruum series vapore actorum Stockholmam urbem recto cursu petens, ad Malmstaett stationem, in aliam mercibus onustam incidit. In congressu viatores viginti confringuntur, pluresque vulnerantur.

— d. XVII Anatolius Leroy Beaulieu, Gallicus historicus, criticus civilisque disciplinae magister merito probabilis, Lutetiae Parisiorum vita fungitur. Ortum duxerat in oppido Lisieux anno MDCCXLII.

— d. XIX nova Luxemburgi Magna Ducissa suo populo fidelitatis iuramentum sollemini ritu praestat.

— d. XX maritimorum opificum a laboribus ex condicto desertiones tum in Anglia, tum in Gallia renovantur.

— d. XXII in Caucasi vallibus ex atra procella inundationes lugentur, quae ferreis axibus stratam viam subvertunt, humanasque victimas adducunt.

— d. XXVIII ad Hyeres insulas dum Gallica classis ad scopum sese exercet, tormento quodam bellico loricatae navis *Iules Michelet* disrupta, classiarii tres supra viginti gravia vulnera reportant.

— XXIX Lutetiae Parisiorum dum Ioannis Iacobi Rousseau centenaria commemoratio habetur, manus civium regio gubernio faventium tumultus provocant.

LIBRORUM RECENSIO

JOSEPHI BONAVENIA, S. I. *Carmen Philumenianum*. — Romae, typis Cuggiani MCMXII, in 16^o pag. 56. — Pret. lib. 1.

Auctoris nomen late inclaruit ob insignem, qua pollet, archaeologiae sacrae scientiam, quam disciplinam in Universitate Gregoriana publice docet. Nec minus ille versatus est in poesi latina: quod patet cum ex aliis eiusdem elucubrationibus poeticis, tum ex hoc numerissimo *Carmine Philumeniano*. In quo auctor non solum faciles comptosque hexametros effundit, sed eosdem quoque sacro aestu inflammatos. Neque id mirum. Agit enim de argomento sibi apprime caro: de celebri translatione in oppidum Mugnano corporis S. Philumenae, cuius virginis martyrium et sepulcrum clarus auctor doctis illustraverat et vindicarat dissertationibus. Triumphalem igitur pompam, qua sacrae exuviae deductae

fuerunt, poëta noster ample describit; nec solum ea memorat quae in hoc itinere mira contigerunt, sed veteres etiam attingit glorias Campanae regionis, uti S. Paulinum, episcopum Nolanum, et S. Felicem presbyterum, quos pulchre inducit obviam euntes S. Philumenae eique de caelo plaudentes. Furentes item commemorat cacodaemones e vicino Vesuvio erumpentes atque immanem excitantes tempestatem.

Quae omnia lectorem iucunde afficiunt et ad pieta-tem movent. Ad faciliorum autem carminis intelligentiam non parum conducent et *Summarium* quod in fronte ponitur, et *Adnotationes* quae opportune in calce accedunt. Nec quisquam profecto id auctori vitio vertet, quod in voce *Philumenae* variam, pro metri necessitate, adhibuerit prosodiam.

Iuvat tandem ea hic referre, quae Pontifex Maximus ad clarum poetam et archaeologum rescribere dignatus est: « Dilecto filio Religioso Viro Iosepho Bonavenia S. I. de excellenti carmine philumeniano gratulamus ex animo, et fausta quaeque per intercessionem praeclarae Virginis Martyris Philumenae a Domino adprecantes, grati et benevolentis animi testem, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus. — Ex aedibus Vaticanis, die 14 Iunii, 1912. — Pius PP. X ».

FR. XAV. REUSS.

A E N I G M A T A

I.

I (vulgo REBUS).

SE

INCOMMODUM
INCOMMODUM
INCOMMODUM
INCOMMODUM
INCOMMODUM....

NE

II.

A teneo: vado per vicos, vado per urbes.

E teneo: cupas fabricor arte mea.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE AENEIDE CUM FRUCTU LEGENDA
ACROASIS.

Aenigmata an. XV, n. IV proposita his respondent:

1) Os-Iris; - 2) Re-do.

Ea rite soluta miserunt:

Alois. Cappelli, *Senis* — St. Dantas, *Natal*. in *Brasilia*. — F. X. M. Drepano. — Rich. Müller, *Berolino*. — Petrus Tergestinus. — Vine. Starae, *Neapoli*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Stan. Pini; F. Arnori, *Mediolano*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — Ad. Kozlowski, *Petricovia*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Alb. Kain, *Dublino*. — F. Wawer, *Marianopoli*. — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco*. — Georg. Archambeault, *Quebeco*. — P. Prado, *Venetii*. — St. Kempa, *Agrodnia*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — A. Bounin, *Aureliano*.

Sortitus est praemium:

ADAM KOZLOWSKI,

ad quem missa est IOANNIS FRANCESIA actio dramatica, cui titulus:

EUPLIUS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

ANTHEA

(Ex fabula H. Sienkiewicz Poloni: *Eamus ad Ipsum*).

In eorum enim cogitatione defixa, quae de Nazareno homine a procuratore acceperat, a cura molestiaque animum avocabat. Inter quae abditum aliquid a suaque mente longe remotum frustra conabatur assequi intellectu atque tenere. Nam qui tranquille mortem appetiissent noverat quidem multos; sed eos intellegebat aut iactanter fato occurrisse, aut necessitati cessisse sapienter; nondum tamen extitisse quemquam, cui exploratum omnino esset, utrum cum vita omnia extinguerentur, an mors verae sempiternaeque vitae esset initium. Unus id se certo nosse profitebatur publice, mox cruci adfigendus.

Interea prodit ex urbe pompa, recta petens destinatum spectaculo collem.

Effunditur multitudo portis; omnes, relictis domibus, dextra laevaque sese catervae adiungere, alius alium sciscitari, mirari complures tantum in eo viro fuisse momenti, ut universae civitatis in se oculos ac suspensa ora converteret. Iamque hominum fremitus ad remotissimas aures pervenerat, armorumque internitentium rumor, quibus in media turba conspicui romani milites erant, sollicitas exspectatione mentes compleverant, quem tandem proprius Anthea agmen accessit.

Anteibant, magno cum strepitu et iactatione fanatica corporis, ex ima plebe adolescentes, laceris vestibus, zona succincti, abrasis capillis, cirris hinc inde per genas effusis. Cohors ingens sequebatur aetatis omnis et conditionis, ore attonito, succensis oculis, sudore madidis p[re]ae aestu ac festinatione frontibus. Horum cladebat agmen Consilium Iudeorum supremum in quo medii duo principes eminebant: Anna, falcato vultu et lippis oculis senex; Caipha bicorni infula ornatus, ac lamina circa pectus gemmis distineta. Extremi subeunt, interiectus aestuanti populo murus, pharisaei, grayi incessu, vultu composito, defluentibus tunicis, quasi quietae felicitatis vexillis.

Cinna, fastu romano, oculis lustrabat singulos. Antheam stupor primum, deinde anxiae trepidationis penetraverat sensus. Cuius quasi mortuae species omnium in se rapiebat admirationem, haerebantque in ea defixi insolentius obtutus. Inhibebant milites proterviam turbae, contemptione atque odio prosequentis, quum peregrinos omnes, tum etiam mulierem illam pene morbo confectam. Tum demum miserae patuit totius ratio consilii quod gens illa cepisset, perdendi hominis amantissimi.

Auctum clamorem sibilis, rugitibus, improvisum ac per breve silentium exceptit. Tum vero exaudiri coepitus tinnitus armorum, et gressus in numerum gravis legionariae cohortis.

Turba hinc inde semota, fit aditus novissimo agmini. Septae militibus agitabantur, tamquam in aere natantes, crucis tres curvante pondere terga subeuntium. Facile

autem intelligi poterat in iis non esse divinum hominem; nam nefarios duos ipse prodebat vultus; tertius erat, alii suffectus, rusticus quidam.

Tandem exiguo intervallo, medius inter custodes milites duos, conspicitur Nazarenus. Impositum vestibus gerit purpureum pallium; regium insigne capiti inhaeret spinea corona; qua laceratione cereus pallore vultus rigatur sanguine. Singulis passibus defatigato recrudescit dolor intumescitque corpus ulceribus. Una languentem prosequitur, pari emissa consensu, vox « crucifigatur ». Alternis autem inconditus editur clamor isque terribilis, ritu ferarum, praedam modo quam expetant truci rictu intuentium. Interea demisso vultu procedit innocens victima, non suam quidem vicem, sed populi salutem dolens supremo periculo obiectam.

Anthea, defixis oculis in augustissimam faciem eandemque pacis et misericordiae nuntiam gentibus universis, trepido labiorum murmure:

— Tu es — inquit — veritas.

Anxiae vero propter motum ne cito esset ille praeteriturus, sors insperatam attulit occasionem contemplandi diutius. Quum enim eo loci nimium stipata turba intercluderet iter, eius amovendae causa, obnientes milites constitere. Tum Antheae licuit considerare totum hominem adeo sibi iam proximum, ut flavos illius crines cerneret agitari vento, cerneret in pallido vultu repercussos colores purpurae Multa simul spectaculo erant; multitudo, vix a militibus compressa ne in ipsum rueret praeceps; intenta, facto pugno, tot brachia; tot oculi emissiti; tot albicantes dentes, tot linguae ad exserandum conversae. Quibus omnibus ille petitus ictibus, interdum circumspiciens, velle videbatur quaerere, quidnam tandem fecisset mali.

Inter haec Anthea iteratis vocibus revocatur a Cinna.
Oblita enim se multos iam dies iacere immotam, irae
simil atque amoris acta impetu quodam repente sur-
rexerat, turgidisque oculis ac tremebunda collectos e-
lectica flores cooperat spargere, pedibus Nazareni cal-
candos.

Occupat late stupor animos secum agitantes, qui fieri posset ut romana foemina, genere nobilissimo, eius honoris testimonium publice exhiberet damnato homini. At ille, converso ore, rexpecto Antheam, motisque leniter labiis visus est eidem velle bene precari. Ad haec resupina cecidit mulier in pulvinaria lecticae; mox interiore quadam luce circumfusa in spemque optimam erecta:

— Tu, — inquit — tu es ipsa Veritas.

(Ad proximum numerum).

PETRUS ANGELINI